Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Philosophica cu[m] additionibus nouis

Reisch, Gregor

Basilee, 1517

VD16 R 1040

Theoderici Ulsenij Phrisij artium [et] medicine Doctoris: Oratoris: Poeteq[ue] laureati: de Margarita Pilososophica carmen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30660

Visual Library

Suo Gregorio Reiſch generoſi co-mitis de Zolrn alumno: Adã Wern-herus Temarenſis Salutem P. D.

Tu cohibere paras epitoma/tui monumentum
  Ingenij: clarum ne exeat illud opus?
Falleris et vano merito fruſtrabere voto:
  Auctore inuito tale legetur opus.
Docte vir ignoras: Seruata magis cupiuntur:
  Et magis irritant queqꝫ negata putas.
Indignere licet cupidus prodire in apertum
  In lucem veniet tuus ille liber.
Palladium fruſtra ſeruabat milite Troia:
  Turris et incluſam non tenuit Danaen:
Nec tua ꝑpetuo (mihi crede) ſepulta manebũt
  Scripta modo digitis tam ſtudioſa tuis.
Ergo age/ſpõte tua/precibus noſtriſue rogatꝰ
  Annue: et in lucem mox volitabit opus.
Annue/quod fiet q̃uis prohibeberis ipſe.
  Dedalus impreſſor: fac tua ſcripta premat:
Hec puer atqꝫ ſenex/et ſi quem arcana iuuabit
  Noſcere que condit Philophia/leget.
Sic tua mox vaſtum clareſcet fama per orbem:
  Viueqꝫ Gregori Reiſch: tibi quiſqꝫ cauet.
Et ſi te haud capiet ventoſe gloria fame:
  Communi at ſaltem commoueare bono.

Theoderici Ulſenij Phriſij artium ꝛ medicine Doctoris: Oratoris: Poeteqꝫ laureati: de Margarita Philoſo-ſophica carmen.

Unio gemma teres liber hic auctore vocatur
  Rite: ſuo rutilans nobile mentis opus.
At mihi malus acer potius ferretur in euum
  Dum margaritis gemmat vbiqꝫ nouis.
Hic liber eterne prebet monumenta ſalutis/
  Edocet ac ſophie noſcere ſenſa pie.
Iudice me floret pomus/qua myſtica vernant
  Poma: quod ad vitam vix meliora virent.
Ecquis enim tali diſcedat ab arbore/cuius
  Ramus alit media viuida poma niue?
Sin tamen arbor erit: dicatur amabile malum:
  Quo commune Biblo nomen et omen eat.
Aurea terrenum qui laudat poma metallum
  Iam ſileat/lucis celica mala legens.

Pallidus abſtineas Veneris conflatili malo:
Arbore de noſtra poma rubella feres.
Auro ſi melior iaſpis: ſi iaſpide virtus:
Si virtute deus: ſi deitate nibil
Deſine priſca tuos etas iactare lapillos/
Hec cleopatreos vnio vincit auos.

In eminentem Margaritam artificiſitu cyclopediam effingentem Jacobi Philomuſi oratoris poeteqꝫ laureati Epigramma.

Tẽpora Sardonicem laudant tranſacta tyrãni
Polycratis: gemme fataqꝫ rara ſtupent.
Is quia ſpumoſis pelagi demerſus in vndis/
Ad dominum rediit: ſed fuit omen atrox.
Aeacidis pariter veteres mirantur Achatem:
Dignum carminibus: hiſtoricaqꝫ fide.
Qui tenuiſſe nouem Muſas/ cũ preſide Phebo
Fertur: et expreſſam concrepuiſſe lyram.
Non erat artis opus: gemmam natura potentẽ
Sponte ſua dederat/ mirificumqꝫ decus.
Priſca recenſendo ſileat pompoſa vetuſtas:
Gemmam diuinam Theutonus orbis habet.
Quam non produxit gremiũ telluris auarum:
In lucem quam nec concha marina tulit.
Ardor doctificus ſedenim quem vibrat acumen:
Hanc Margaritam condidit ingenũam.
In qua ſplendeſcũt artes ſeptemplicis orbis:
Ethereus fomes /et rationis apex.
Margarita nitens/ pulchris intexta beryllis/
Diffundit radios: quos parit aura Iouis
Hanc non liuiduli taminent: porciqꝫ ſubantes/
Attrectent illam pectora docta magis:
In quibus eſt ſollers genius: q̃ dogmata querit
Cyclica palladio ſemine nata libens.
Laudes muſſo tuas Gregori docte rotundo
Ductus conſilio/ quas pia fama canet.

Margaritam Philoſophicam nouis
characteribus dilucidatam/ in-
duſtria ſua/ ac ere proprio
Michael Furterius im-
p̄ſſit Baſilee. An
no. 1 5 1 7
die vero. 5.
Martij

Societ. JESU Paderborne